

**Dissertatio medico-chirurgica inauguralis de hydrope ascite et paracentesi
... / ex auctoritate ... Guilielmi Jacobi 's Gravesande ... pro gradu doctoratus
... submittit Jacobus van Munster.**

Contributors

Munster, Jacobus van.
Gravesande, Willem Jacob 's, 1688-1742.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Conradum Wishoff, 1723.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jume4bse>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA
INAUGURALIS
DE
HYDROPE ASCITE ET
PARACENTESI,

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. GUILIELMI JACOBI 's GRAVESANDE,
A. L. M. PHIL. ET J. U. DOCT. R. S. L. SOCII, ASTRO-
NOMIÆ ET MATHESIOS PROFESSORIS
ORDINARIJ;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissime FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Publico ac solemnè Examine submittit

JACOBUS VAN MUNSTER,
Zwolla Transifalanus.

Ad diem 17. Augusti 1723, tempore locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM WISHOFF. 1723.

D. THEODORO VAN MUNSTER,
ARTE CHIRURGICA APUD ZWOLLENSES
JAM PER TRIGINTA ET PLURES ANNOS
FELICISSIMO AC CELEBRATISSIMO, PA-
RENTI OPTIMO, MIHIQUE AMANTISSIMO:

UT ET
EXCELLENTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS,
Atque CELEBERRIMIS VIRIS,

D. HERMANNO BOERHAAVE,
A. L. M. PHILOS. ET MED. DOCTORI, BO-
TANICES, CHEMIÆ, ET COLLEG. PRAC-
TICI PROFESSORI, NEC NON PRÆSIDI
COLLEGII CHIRURGICI, PROMOTORI MEO
VENERANDO:

**D. HERMANNO OOSTERDYK
SCHACHT,**

A. L. M. PHILOS. ET MED. DOCTORI, ME-
DICINÆ THEOR. ET PRACT. UT ET COL-
LEG. PRACT. PROFESSORI, ILLUSTR. AC
PRÆPOT. ORD. HOLLAND. ET WEST-
FRIS. COLLEGII THEOL. MEDICO, COL-
LEGIQUE PHARMACEUT. PRÆSIDI:

**D. BERNHARDO SIEGFRIEDO
ALBINO,**

MEDIC. DOCTORI, AC ANATOMES ET
CHIRURGIAE PROFESSORI:

PRÆCEPTORIBUS MEIS VENERANDIS, COLENDIS,

*Dissertationem hanc Inauguralem eo,
quo decet, cultu ac devotione
offero & dico*

JACOBUS VAN MUNSTER,
AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA
INAUGURALIS,

D E

HYDROPE ASCITE ET PARACENTESI.

P R Æ F A T I O.

BL. Moris est apud plerosque, qui aliquid prælo commiserunt, ut rationem reddant, quare id fecerint, quam ob causam hanc, de qua commentati sunt, elegerint materiam, & ut Tuam denique appellent humanitatem, benignum de labore suo ferendi iudicium. De tribus hisce forte & me in limine dissertationis præsentis verba facturum expectabis. Paucis itaque sic habe: quoad primum scias velim, incubuisse mihi, summos in Medicina honores ambiendi, legibus Illustris Academiæ hujus obtemperare. Volupe autem fuit, pro Dissertationis Inauguralis themate eligere hocce de Hydrope Ascite practicum, ut Medicinam facturum hocce specimine doceam, quid & in Gallia ex demonstrationibus Celeberrimorum illic Chirurgorum, & hic ex disciplina Excellentissimorum in Medicina Professorum, Præceptorum meorum omni semper honoris cultu venerandorum, hauserim pro tenuis ingenii mei capacitate. Tuum erit B. L. judicare, an pro dignitate, meum quod erat, executus sim, an secus. Si meus Tibi qualiscunque sese commendaverit conatus, benevolentiam Tuam prædicabo; sin minus, errare esse humanum, ac ultra posse neminem obstringi, mihi solatio erit. Vale & Fave.

1. **H**YDROPS adeste dicitur, ubi apparet tumor aëquosus, ad sensum frigidus, tactui cedens, vestigiaque pressionis ad tempus retinens, & iterum se restituens, ortus ab omni causa, quæ serum aquosum vel extra vasa sua ire, vel eadem distendere facit; vocatur sic ab ὕδωρ aqua, & ἔπτομα video.

2. Per Hydropem ASCITEN nil aliud intelligo, quam Hydropem, qui potissimum in abdomine hæret; seu: tumorem aquosum, inprimis abdomen distendentem; derivatur ab *ἀσκὸς uter*.

Perfecta proin affectus nostri idea consistit in eo, quod sit tumor aquosus, velut in utre quodam contentus; seu ille hæreat in duplicatura peritonæi, seu lateat inter peritonæum & viscera, seu distendat in cavitate abdominis reperiundas glandulas vasaque ibi distributa, ita, ut inde infimus venter tumeat.

3. Variæ sunt Ascitis species, pro varietate causarum distendentium abdomen, ex repletionem materiæ alicujus liquidæ distendentis. Innotescit hinc ASCITES PURULENTUS, qui fit in Paraphrenitide, ex suppurato diaphragmate, & in Hepatitide, ex rupto hepatis ulcere; dum materia purulenta in cavum abdominis effusa, hoc facit turgere, & hinc eandem, ac si esset verus Hydrops Ascites, requirit medelam.

4. Humor in cavitate clausus, fatus, putrefactusve, rarefit, dilatatur; & in abdomine hinc expanso præbet ideam TYMPANITIDIS, sine quo Ascites raro inventus ab Auctoribus observatus legitur. vid. *Tulp. obs. Med. lib 2 cap. 35.* Ab instrumento bellico, quod tympanum vocatur, Tympanites derivatur, & solo aëre rarefacto abdomen extendere existimatur a quibusdam, minus recte ea propter ad Hydropis species referri posse putantibus. sed quam verè, judicent alii.

6. Quando materia aquea, intra membranaceum loculum contenta, membranam continentem extendit atque attollit, tumor ille vocatur HYDATIS seu vesicula aquosa; quales in abdomine in copia existentes dant faciem *Hydropis ampullati*, tumori Ascitico non absimilis.

6. Mentitur non raro Asciten HYDROPS UTERI, ab collecta in cavo uterino aqua factus, totum interdum abdomen tumefaciens. Eadem fallaci specie sæpe incedit morbus, steriles ut plurimum ac annosas occupans mulieres, HYDROPS OVARIII appellatus.

7. Tumor abdominis fæminarum utero gerentium, ob graviditatis fallacia signa, inprimis dissimulantibus fæminis, sæpius, quam expedit Artis honori, vel exercitatissimis imponit Medicis, qui eum subinde pro Ascite habent. Patet hoc vel inde, quod, referente *Theoph. Boneto* sepulchr. lib. 3. sect. 21. observ. 41. Clar. Car. Drelincurtius tumorem Hydropicum in virgine 17 annorum a tumore gravidarum non potuerit distinguere, sed ipsam pro utero gerente judicaverit.

8. LEUCOPHLEGMATIA, Hippocrati solummodo aquæ inter cutem vitium designans, ab aqua, in habitu pinguedinis stagnante vel effusa, producta, si in membrana cellulosa seu panniculo adiposo circum abdomen occurrit, satis frequenter perfectum primo intuitu mentitur Asciten.

9. COGNOSCITUR, & distinguit se a reliquis abdominis tumoribus, Ascites, per sequentia: Primo adest notabilis tumor, totum abdomen distendens, qui communiter prius sese exferit in pedibus, unde magis magisque per femora ad ipsum abdomen adscendit: tum plerumque sensim increfcit & totam cavitatem infimi ventris ita extendit, ut ad scrobiculum cordis usque conspiciatur. Si presseris digito locum tumefactum, recipitur & ad tempus retinetur pressiois vestigium. Quo magis invaluit tumor, eo majoris gravitatis percipitur sensus, qui, una cum tumore, paululum solet imminui, noctu, lecti calore, augendus rursus interdiu, erectis, ambulans vel sedentibus ægris; qui cæteroquin admodum difficiles plerumque ad sudores se sentiunt. Pro rata, qua æger in partibus, quas morbus obsidet, mole augeatur, in habitu reliquarum corporis partium magis magisque in dies emaciatur & gracilefcit, cæterum toto morbi decursu tussi infestatus. Præterea tumor simul genitalia occupat, & in viris Hydrocele provenit, cui non raro Exomphalos jungitur. Aesse quoque observatur Dyspnæa, quæ interdum in Orthopnæam transit; nec non sitis intensa, una cum urinæ paucitate. Speciatim, ubi serum aquosum est in cavo abdominis effusum, percipitur fluctuatio quædam, quo-

ties æger ad alterutrum latus sese inclinât, & quoties ab altero latere impellitur abdomen, auditur sonus collectæ motæque intus aquæ, talis, qualis ab utre non omnino aqua pleno redditur.

10. Producitur Hydrops Ascites, tanquam a CAUSA PROXIMA, ab omni eo, quod impedit, quo minus serum aquosum in venas redire & cum cæteris humoribus leges circulationis per totum corpus æquabiliter, ut antea, subire possit: sive id fiat, quia vasa rupta effuderunt illud liquidum serosum; sive ab obstructione hoc pendeat eorum canalium viarumque, qua illud reduci prohibetur; sive a motu nimis segni humorum hocce sit, ut nempe nectendo moram in cavitatibus, in quas depositi sunt, crassiores facti, nec exhalare nec resorberi queant.

11. Sed age inquiram paulo penitius in CAUSAS ANTECEDENTES, quæ corpus humanum disponunt, ut sit aptum suscipere morbum. Occurrit hic primo omnium sæva illa, præter meritum multos in magna sæpe mala mortales inducens, *dispositio gentilitia*, qua ejusdem familiæ homines, talem nacti structuram corporis, ut certa ætatis suæ periodo, ea, qua Majores eorum, in eundem, ac illi, incidunt morbum. Observatum namque est, quod hac ratione omnes unius ejusdemque familiæ homines tandem certam ætatem adepti Hydrope Ascite defuncti sint.

12. *Temperies peculiaris* seu propria huic illive homini, *ιδιοσυγκρασία* dicta, multum etiam ad Ascitem prædisponit. Ni enim hæc statueretur, unde quæso erit, quod ex multis unam eandem vitam agentibus, hic vel ille præcise præ aliis omnibus homo infestetur Ascite? In quo hæcce consistat *ιδιοσυγκρασία*, an primario in vitio organorum & viarum humores corporis humani vehentium, continentium, & eorum secretioni inservientium, an vero potius quærenda sit mali origo in dyscrasia seu vitio humorum, patebit, ut spero, ex sequentibus.

13. Docuere apertiones cadaverum, imo & perforationes abdominis in vivis institutæ, quod materies abdomen in Ascite

te distendens sit fluida, aquea. Si jam considero 1. quod corpus nostrum constet ex assumtis; 2. quod hæc, rejectis per varias vias extra corpus, quæ non possunt nutrire, recipiantur a vasis venosis & arteriosis, misceantur ibi reliquis humoribus, & una cum iis per omnes partes agantur; 3. quod æger, Ascite laborans, multum quidem bibat, non tamen reddat quantitati assumti potus respondentem urinam, admodum difficilis sit ad sudores, interim totum corpus habeat extenuatum, excepto abdomine & cæteris inferioribus locis in Ascite tumentibus, tuto concludi posse puto cum Cl. *Carolo Pisone* obs. & consil. p. 330. causam materialem in Ascite esse *partem feri chyli & sanguinis vehiculi*. Erit ergo hæc illa ipsa eadem, quæ vel extendendo vasa sua; vel ex iis exeundo tumorem illum fecit. (§. 10.)

14. Quamdiu vasa, humores continentia, existunt integra, sua debita gaudent vi contractili, non nimis sunt dilatata, nec etiam in cavitate sua imminuta; si humores in vasis contenti adsunt in justa, non excedente, copia, debita fluiditate instructi, blandi, nec nimis incitato, nec ultra modum segni, motu fluentes; tum & vasa suos continent liquores, eosque, ut decet, propellunt, & hi non, nimis distendendo suos canales, multo minus ex illis elabendo, leges circulationis subterfugiunt. Hactenus itaque nullus oritur in corpore Ascites. His autem modo dictis omnibus contraria ratione se habentibus præsto esse potest. Referetur ergo causa prædisponens ad Asciten, tum in vasa, tum in humores.

15. Inter VASORUM VITIA numero primo *relaxationem* seu ἀνασφύρασιν, quando, amissa vi contractili, fines eorum seu oscula emittunt retinenda, aut etiam, quando initia illorum dilatata & latiora facta admittunt partes sanguinis crassiores, quam alias naturaliter intrare solent, quæ proinde propulsæ ulterius, occurrentes angustiis conniventibus, non potentes pergere, ibidem stagnant, unde vero ex natura nostrorum humorum nil certius fieri posse, indubitata est inter Medicos veritas, quam ut fiat secessio liquidissimi,

cor-

corruptio & dissolutio putrefactiva remanentis crassi, utraque vero via dispositio ad Hydropem, uti in progressu clarius fiet. Deinde considero etiam hic illam malam in vasis constitutionem, quæ vocatur *διαπήδησις* quasi *persilitio*, ubi fibræ, membranas conceptaculorum seu vasorum constituentes, a se invicem disjunctæ & distractæ, faciunt spatia intermedia, per quæ, ceu rimas, humores continendi elabuntur & dimittuntur. Quomodo vero hinc generationi Ascitis pandatur via, cuique, vel leviter scientia æconomix corporis imbuto, patere potest. Etenim notum est, omnia puncta corporis perspirabilia esse, hinc, si ille vapor perspirabilis a quacunque causa impeditur, facile condensatur & in aquam transit, & si hæc a vasis absorbentibus iterum non absorbetur, viam sternit ad hunc morbum. Equidem multum inter Auctores disputatur, an talis transsudatio per membranas vasorum fieri queat; quidam hoc asserunt; alii iterum negant, & hanc ob rationem, quia nullum vas in corpore humano ex una simplici membrana, sed ex plurimis sibi invicem nexis sit conflatum, hinc impossibile putant, talem transsudationem per eas fieri; quod ad me attinet, fateri debeo, tamen valde probabile esse, transsudationem fieri: nam licet vasa plurimis membranis constent, nil tamen hoc obstat, nam ars Ruyschiana nos manifeste docet, unamquamque membranam iterum propriis vasis suis constare, hinc ex his facile effluere potest, quod nimis fluidum est; confirmatur hoc adhuc magis, quando oculi nostri microscopiis Leeuwenhoekianis armati detegunt, membranas instar linteaminis aut retis infinitis poris repletas esse. De hac re jam olim Magnus Hippocrates suspicatus fuit, qui dicit, corpus humanum quasi cribrum, & cavitatibus spiritibus repletis instructum esse. Multa experimenta ad illud probabile reddendum hic adducere possem, si necessitas postularet; sed ne nimis prolixus sim, una alterave observatio nobis satisfaciet. Memini me audivisse ab *Excellentissimo Præceptore meo BOERHAAVE*, quod observaverit, plurima clysmata ex aqua sola una die injecta per solam urinam excreta fuisse, & ne

ne guttulam quidem per anum rediisse; tale simile exemplum refert Clariss. *Baglivus* p. m. 143. de viro erudito, qui sibi aquam tepidam per clysterem injiciebat, in intestinis omnino retinebat, & paulo post per urinam totaliter reddebat, ne guttula per alvum exeunte. Hisce non absimilis est illa observatio *Benivenii Florentini*, observationum rariorum cap. 7. de puero duodecim annorum, qui septem diebus urinæ suppressione laboraverat, & tandem illam per alvum excrevit, & sanatus est. Hinc videmus, quod aqua ex intestinis crassis in vesicam possit delabi, & iterum ex vesica in intestina, sine cognitis aliis viis hucusque detectis, quam poris, quidne magis credemus, humorem multo liquidiorum aqua ex vasis in cavitationem colligi, unde Ascites gigni potest; confirmat sane hanc rem non parum phænomenon illud, quando animalium vivorum corpora aperta vapores ubique, sine læso aliquo vasculo, exhalantes nobis conspicuos præbent, guttatim viscerum superficiem adhærentes. Pertinet huc quoque experimentum illud Cl. *Loweri* tract. de corde cap. 2. p. 124, qui in ovibus, Hydrope pectoris & abdominis extinctis, omnia viscera & vasa integra, nihilo minus tamen cavitates dictas aqua repletas reperit. Quid vero talia aliud docent, nisi istud, quod dentur in partibus solidis corporis spatia, per quæ potuerit aqua illa effundi. Non prætereunda mihi hic est ista in vasis conditio reperiunda, *διαίρεσις* a Medicis appellata, quando desinente eorum debita continuitate, accidit cohærentium inter se vera separatio seu divisio: hæc autem contingere potest triplici ratione; vel enim adest ex *πῦξι* seu *dilaceratione* per vim quandam externam, uti lapsu, pulsu vel alio quocunque violento motu, in corpus instrumentum; vel ex *διαβρώσι* seu *erosione* ab acri rodente & peredente tunicas vasorum; vel ex *distensione nimia* tantum, eousque facta, ut tandem continuitas membranarum, constituentium vas aliquod, desinat. Quocunque modo conceperis cohæSIONEM sublatam in conceptaculo aliquo, humoribus ponitur data facultas elabendi extra illud. Sic jam sensit *Horatius Augenius* Epistol. Medicinal. Tom. 2. p. 400.

quando, *promptissimi*, inquit, *sunt ad Asciten*, quibus *rupta aut exesa aliquando vena fuit, suppressaque evacuatio sanguinis.* conf. Magn. Hippocrat. 7. aph. 55. Theoph. Bonet. sepulch. lib. 3. sect. 21. obs. 19. & Nic. de Blegny Zodiac. Med. Gall. An. iv. p. m. 88.

16. Non vero tantum latet vitium in vasis, quod naturalis eorum cavitationis capacitas aucta, vel latera illorum cohæsiōnem suam & continuitatem amiserint (§ 15) & sic egresfui humorum locum concesserint; sed valent etiam ex cavitate sua imminuta, contraria plane ratione, eundem effectum producere. Refero huc primo *ἐμφραξιν*, quando scilicet per materiam, quæcunque illa demum sit, in cavitate vasis hærentem obthuratō ejus contingit; 2do *σπυνοχωρίαν*, quæ meatus canalī arctatur a tumore aliquo in membrana, canalē illum constituyente, enato, vid. *Pisonis observ. & consil. observ. 115*; quæ tamen arctatio etiam præterea absque tumore contingere posse videtur ab orta simplici contractiōne per vim excedentem fibrarum orbicularium, vid. *Hippocrates* libro de flatibus p. 299. ubi a sanguine nimium rarefacto *σπυνοχωρία* fieri dicitur, quæ tum fiat causa, ut sanguis per poros vasis sui perumpat; 3tio *θλίψιν*, cum a lateribus vasis compressis cavitas ejus minuitur vel etiam tollitur; apparuit tale quid in illo experimento *Loweriano*, ubi scilicet celeberrimus hic Auctor cani venam cavam infra cor ligavit, & sic facta *θλίψι* hac conspexit, ex impedito sanguini itinere versus cor, canem evasisse vere Asciticum, quia humores, non potentes se evacuare per ordinariam suam viam, retrofluxerunt, stagnarunt, & vel dimittere coacti fuerunt serum aquosum, vel intumescere fecerunt partes inferiores, in quas exundavit; 4to *σύμφυσιν*, ubi per coalitum laterum vasi tota perit cavitas, quod plerumque in senibus, & ubi callus enatus est, reperitur; 5to *συνίησιν*, quæ denotat abolitionem cavitationis ex inanitione, uti hoc post nimiam prius distensionem a materie contenta, & subito insequentem evacuationem ejus contingere videmus; exemplo sunt fæminæ puerperium passæ, uterum antea magnopere extensum, mox habentes

penitus inanitem; ut taceam homines, in quibus Paracente-
fis instituta & omnis simul educta fuit aqua. Omnibus his
modis, quibus vasa in capacitate sua interna imminuuntur,
humores appellentes libere transfluere impediuntur, & inter-
cepti in loco coguntur stagnare, perennante vero eorum af-
fluxu, vasa non transmittere potentia patientur idem, quod
(§. 15.) dictum.

17. IN HUMORIBUS adest causa prædisponens ad
Asciten, quatenus peccant vel in quantitate, vel qualitate.
In quantitate sola si peccant humores, status iste vocatur
Plethora. Hæc quomodo sit causa morbi antecedens, non
melius elucescere posse existimo, quam, si tribus, quod a-
junt, verbis monuero, quod, ubicunque hæc obtinet, ibi
vasa arteriosa & venosa sanguinem vehementia supponantur la-
xa, nam talia non resistunt ingressui excedentis in copia san-
guinis. Hinc ab augescente sanguine vasa, utpote laxa,
magis magisque extenduntur, & cum copia ejus major sit,
quam ut ferre possit eas mutationes, quæ vitæ inevitabiles
accidunt, sensim incipit carere circulatione, & committitur
sibi ipsi ac propriæ suæ naturæ. Tum minus experiens cir-
culationem accedat, necesse est, ad quiescentem humorem,
quo magis vero quiescit, eo magis it ad putrefactionem ex
natura sua. Quod autem in putrefactione humorum fiat se-
cessio ejus, quod est tenuissimum, subtilissimum, rema-
nentis inde incrassatio, notius est, quam ut a me debeat ex-
poni. Tantum id non possum silentio præterire, quod
constans omnium Practicorum docet observatio, quod nem-
pe ætas juvenilis ac consistens, & sexus sequior, nec non
homines otio dediti, præ cæteris vergant ad Plethoram; sed
iidem sunt quoque, de quibus non minus docent observatio-
nes, quod præ omnibus habeant diathesin ad Asciten. Fæmi-
næ id quam maxime confirmant, menstruas habentes evacua-
tiones vel imminutas vel plane suppressas, tales enim admo-
dum proclives sunt & pronæ in morbos Hydropicos. de viris
hæmorrhoides fluentes ante passis, nunc vero eas non expe-
rientibus, idem verum est. Et, quod hic bene notandum

puto, quo largiores dictæ fuerunt sanguinis evacuationes, eo magis animadvertuntur talium corpora disposita non solum esse, sed re ipsa incidere in Hydropes. Inde forte erit, quod Clariff. Sydenham. oper. p. m. 767. scribat, *viros, ingravescente ætate: fœminas, ubi jam parere desierint, NB. ut plurimum infestari ab Hydrope.* Nam non melius aliunde ejusmodi observationes explicari possunt, quam quidem, ut opinor, a Plethora, quæ, se evacuare cessans, in corpore stagnat, & distensiones vasorum efficit majorum, compressiones hinc minorum, lacerationem in vasis, suffocationem in liquidis, inertiam, desidiamque; unde idem orietur, quod in anastomosi dictum: & in specie, ubi plane jam cessavere plethoricæ evacuationes, manente interim causa, humores augente, v. g. bona digestionem & absentia ejus, quod consumendo eos imminuit, necessario, cæteris paribus, in hisce casibus continget eo citius illud, quod ex plethora pendere dixi, quo minor adest spes imminuendæ per alias vias copię humorum.

18. In qualitate quando peccant humores, tunc dicitur adesse *Cacochymia*, quæ est degeneratio omnium humorum ab illis conditionibus, quæ requiruntur ad sanitatem, simul secum ferens læsionem functionum per totum corpus, imprimis nutritionis, indeque semper pendentem corporis habitum debilem, laxum & mollem. De hacce, uti causa morbi antecedente, paucis acturus, intacta relinquo ea vitia, quæ hæere possunt in qualibet particula fluidi, ex principiis & regulis hydraulicis & hydrostaticis, cui vacat, facile ex dicendis deducenda, hic loci tantum de humoribus corporis humani, quatenus toti simul spectantur, quædam huc pertinentia commemorabo. Si itaque *humores* corporis nostri *nimis sunt fluidi*, quia eo ipso particulas habent inter se minus cohærentes, & hinc facilius a se invicem secedere potentes, haud difficulter concipitur, quod valde apti sint ad transeundum per vasa sua, imprimis si vasorum tunc adsit inertia, minorque in contenta fluida actio. Ubi porro adest *humorum nimia tenacitas*, sive ea sit a calore, id est inflammatoria; sive a frigida quacunque causa orta, id est pituitosa,

vasorum fiunt extensiones, obstructions, præsertim ad orificia vasculorum lateralium minorum, minimorum canalium coalitus propter liquido ibi impeditum iter, inde tumores, circulatio impedita, augescens in dies tenacitas & immeabilitas, secessus hinc fluidissimi, & appellentium a tergo humorum, viam sibi invenientium præclusam, in loca indebita secessus seu errores locorum, quoniam humores ad cavitates pertingunt, sua figura harum diametro non respondentes, unde accedente magno motu vi impingunt in ea, & sic faciunt vitia similia §. 15. vel, non ulterius pergere potentes, stagnant. Quod vero hacce duplici via fiat diathesis ad Hydropem, ut a me probetur, nemo opinor, necessarium judicabit; conf. §. 17. Naturæ ordine jam ducor *ad quietem humorum*. Hæc si obtinet in corpore humano, & adest simul laxitas vasorum, uti fere semper hæc duo se concomitantur, circulationis efficacia desinente, sanguis tandem omnis in serum resolvitur: hoc vero cum sit tenuius, quam sanguis ruber, difficilius potest contineri, & cito invenit, qua possit aufugere. Optime hoc jam ab *Hippocrate* sect. 7. aph. 74. notatum est dicente *Ἐπὶ λευκῷ φλέγματι ὕδρωψ ἐπιγίνεται*, quæ verba Clar. Joh. Heurnius de corpore caco-chymico interpretatus, de pituitæ ex quiete humorum genitæ copia, Hydropem Ascitem minitante, intelligi vult. Sunt nempe inter extremitates arteriarum & venarum vasa quædam seu cellulæ, quæ recipiant sanguinem ex arteriis, resorbendum postea rursus in venas, si autem hæ cellulæ seu sacci excipientes, sanguinem nanciscuntur minus actum, hinc ex arteria laxa infusum, quo diutius durat hæc arteriæ expansio, eo diutius quoque hic moratur effusus sanguis, & sic minus actus non potest ire in suam venam, & fit illud §. 10. Confirmant hoc utcunque homines quietam & sedentariam agentes vitam, & imprimis virgines chlorosi laborantes, quorum sanguis, ex vena emissus, semper minus ruber apparet, quique præ multis, cæteris paribus, ad Hydropem inclinant. Sed non vacat hic culpa *humorum excedens per vasa motus*, qui duplici respectu hic in considerationem venit, primo, quod a magna vi

humorum pulforum in vasa, & horum majore renixu in illos, fiat magnus particularum fluidi attritus & hunc sequens secessio aquosi seu tenuis, & incrassatio seu condensatio remanentis; 2do auctus per vasa humorum motus facit vasorum auctam ad initia amplitudinem, hinc liquidorum crassiorum in vascula tenuiora impulsum, & ubi pertransire non possunt, propter angustias viarum, stagnationem. Priori respectu facilis fit intellectu collectio humorum tenuium in interstitiis inter partes solidas; posterius si ponitur, fiunt illa, quæ in anastomosi §. 15. Reliquas humoribus accidentes mutationes ac degeneraciones, a particulis peculiariter affectis dependentes, e. g. quæ ex acrimonia oriuntur, sicco transeo pede, quia semper unum ex iis, quæ in toto humore occurrunt, vitiis producent, nempe hærens vel in fluiditate vel in motu, iisque vel auctis vel imminutis.

19. Injurius essem in Lectorem meum, si crederem, ex dictis (§ 15. ad 18. inclus.) causarum antecedentium ideam ipsi datam sic distinctam, ut inde innotesceret, quando in vasis solis, & quando in humoribus solis hæreat vitium prædisponens ad morbum. Non enim mihi sic sum suffenus, ut putem, hæcce a memet clare cognosci. Patet quidem in antecedentibus, quod in vasa, & in humores culpa possit morbi transferri. Sed simul ubique attendenti clarum evadere potest, quod fere nunquam peccatum hæreat in altero horum, altero bene constituto: sic, ut perpetua adsit quædam quasi sympathia seu harmonia, nec alterum deflectat a debita sua constitutione, quin alterum simul de tali degeneratione participet. Hinc mirari non satis possum, quod reperiantur, qui semper invenisse se putant tantum causam prædisponentem ad morbum in alterutro memoratorum.

20. Apparuit hucusque, quotuplici ratione tam vasa, quam humores, constitutionem talem accipere possint, qualis efficiat causam prædisponentem corpus ad Asciten. Cum vero non unius sint generis vasa, nec etiam humores, non immerito jam quæritur: in quænam præcipue ex dictis his binis cadat vitium, ut inde *διὰ τούτου* fiat ad morbum. Vete-

res Medici, qui ante Harvæana tempora unanimi consensu credidere, sanguificationem in hepate fieri, a solo hoc etiam viscere Ascitis originem deduxerunt; nam a labefactata sanguificatione, seu a refrigerato hepate, loco laudabilis sanguinis serum vel aquam gigni putarunt; vid. *Tulpius* observ. Med. lib. 2. cap. 36. & *Horatius Augenius* Epist. Medicin. Tom. 2. p. 586. *Hippocrates* quoque idem statuere videtur sect. VII. aph. 55. ubi de Hepate aqua repleto, ad omentum erupto, loquitur. Quicquid horum sit, ego, neminem cæco impetu sequens, solam veritatem amplectens, dico; non quidem eximendum esse hepar a culpa, putarim tamen, non ab eo solo, sed & ab alio quocunque viscere pendere originem morbi, imo sæpe sine vitio jecoris. Ita *Celeb. Tulpius* obs. Med. lib. 2. cap. 32. se quinquies non solum a solo mesenterii ulcere vidisse Hydropem memorat, sed & ab ejusdem partis steatomate sine ulcere, ex sola luxuriantium glandularum protuberantia. Ibidem dicit, invenisse se in cadavere hydropici ingens solummodo steatoma, quod ex mesenterii glandulis excrescens in molem, ultra lb XVIII. ponderantem, causa fuit morbi, hepate interim, liene ac ventriculo, integris ac illæsis. Idem Auctor l. c. c. 34. narrat casum Hydropis a vesiculis mesenterii geniti. *Thomas Bartholinus* Histor. Anatom. Cent. 1. Hist. 2. dicit, nullum hepatis vitium in corpore Hydropicæ apparuisse, sed tantum lienem minorem. Conf. idem Cent. 3. Hist. 83. Innumera fere alia apud *Theoph. Bonet.* in sepulchreto Anatomico extant exempla. Vid. *C. Stalp. van der Wiel* obs. rarior. cent. 2. part. 1. p. 298. Ad alterum punctum quod attinet, scilicet, quis præcipue sit ille humor, qui in abdomine hærens præbeat materiam illud distendentem, hocce jam § 13. ex Pisone utcunque præoccupavi. Et cum circa illud minus discrepantes reperiam Medicos, sufficere putaverim dixisse, quod universa humorum massa, secundum gradus densitatis tantum a se invicem differentium, si a naturali crasi sua degeneravit & extra pomeria vasorum suorum ferri capax evasit, possit existere causa morbi præëgmena.

21. Ordo nunc postulat, ut inquiram adhuc paucis in CAUSAS morbi PROCATARCTICAS seu OCCASIONALES, quibus accedentibus causa antecedens seu prædisponens, corpori jam inhærens, impellatur, ut fiat morbus. Hæ defumi solent ex vitiis commissis circa usum sex rerum non naturalium; quapropter ex iis petiturus sum ea, quæ huc facere judicavero. Primo itaque huc refero *Ærem nimis gravem*, qui, pondere suo premens totum corpus nostrum, superat resistantiam vasorum pulmonalium, unde eorum fit angustatio, ut nil, nisi tenuissimi humores tarde moti transmittantur, & cum orificia vasorum sudoriferorum extrorsum pateant, ea pressa constrictaque impediuntur perspirare, hinc resistantia fit cordi nimis aucta, indeque pendens motus humorum suffocatio, insensibilis autem perspiratio retropulsa, in corpore retenta, convertitur in ichorem. Si autem nimium fuerit *levis ær*, contraria plane ratione in corpus agens, minus premendo vasa facit dilatari, humores rarefcere, unde horum in loca minus oportuna secessus & errores locorum, eaque, quæ §. 15.

22. *Cibi & potus* hic incurrunt culpam, quatenus vel eorum copia vel qualitates considerantur. Si *nimia* assumuntur *copia*, quia nimis tunc distento ventriculo orificia ejus contracta, vasa, quæ in cavum illius exsudent humorem digestionem adjuvantem, comprimuntur, digestio prima impeditur, unde oritur cruditas in primis viis, hinc vasulorum ad fines obstructio, corporis imminuta perspiratio; vid. *Sanctor.* Medic. stat. de cib. & potu aph. 12. & 52; nam ut perspiratio fiat, requiruntur sanguinis adeo particulæ parvæ, ut per vasa cutis excretoria transire possint, si vero plenus est ventriculus, ille cibum satis comminuere non potest, hinc crassior chylus ad sanguinem pervenit, & quidem ea incopia, ut a vasis subigi non possit, & debite comminui: sed quid hinc eveniet aliud, quam ut vasa magis debilitentur, humores stagent, & sic sternatur via morbo. In primis vero hic male agit in nimia cibo assumtus copia post diuturnam inediam, nam cum novo suppeditato chylo hu-
mo-

mores demulsi non fuerint, vis vitæ interea perrexerit, partes solidæ per hanc ipsam debuerunt destrui, & subtilissimi humores dissipari, residui vero inspissari, imo a perennante attritu tandem fieri acres, putrescentes, rodentes; jam si tunc subito in copia ingeruntur cibi, deficiente liquido inquilino diluente, generatur cruditas humorum, & ab impactione horum in vasa, eorum nimia distensio & effectus, de quibus §. 15. In qualitate peccantes cibi & potus, admodum multiplici respectu possunt esse causa impellens seu procatartica Ascitis. Quantum *potus frigida*, si assumitur simul nimia ejus copia & subito, nocere possit, jam notatum est a *Magno Hippocrate*, vid. sect. v. aph. 24. De morb. popul. lib. 6. sect. 3. & 8. Conf. *Cels.* lib. 1. cap. 3. Quoniam enim in toto corpore nostro nullus est locus, ubi non exhalet tenuis per poros suos vapor, ingesta frigida constringit eosdem & obstruendo parit humores viscosos dimittentes suum liquidissimum. Tum si ingerantur alimenta & potulenta *acrimonia* aliqua peccantia, sive illa sit salina muriatica, sive aromatica, patere cuilibet puto, quod debeat fieri humorum dissolutio, & partium solidarum minimarum destructio, stimulatio solidorum ac velocitas humorum, semper vero liquidum dissipatio & inde excitatio perpetuæ, non levandæ, fitis ad restauranda amissa liquida, hincque pendens exsilitio humorum per debilitata vasa. In specie vero accusatos hic reperio ab Auctoribus *potus spirituosos* fermentatione paratos, qui amatoribus sui in fine tandem Hydropem Ascitem plerumque relinquunt. Ita quippe fit, ut ex talium usu motus in sanguine acceleretur, ejusque attritus augeatur, unde dissipatis fluidissimis cruditates gignuntur, materia pituitosa frigida in vasculis facile colligitur, & in his accumulatur, interim viscerum debilitas sequitur, circuitus humorum valde debilis, & sanguis ad motum iners redditur, humores stagnantes acriores fiunt, hinc obstructa vascula, vel compressa, aut angustata magis magisque repleta, distensa, & interim a materia, acriore facta, erosa rumpuntur, & lymphaticum

liquorem in cavitates effundunt, unde Ascites exoritur. Si *victus* sit *nimis viscosus* ex farinosis, non fermentatione paratus, vel etiam *tenax* ex gelatinosis animalium, tum ex caseo lento, aut presso nimis coagulo lactis, fient vasculorum tenuiorum in intestinis obstructions, hinc intestinorum inertia, cruditates, tumores, & si ipsi sanguini illata est illa viscositas, hæc omnia, & pejora, gignuntur. *Oleosi* autem & *pingues cibi*, quia sunt indigestiles & cum sanis humoribus difficulter miscibiles, obstruunt oscula minimorum vasculorum, unde introitus liquidorum in venas, imprimis meseraicas, impeditur, atque sic sanguis orbus fit liquido, incrassatur, inspissatur, Ascites generatur. Tandem etiam huc pertinent quacunque ratione ingesta, *medicamentorum* & *venenorum* titulo, omnia acria, caustica, putrefacientia, viscosa, constringentia, quæ vasa rodere, exedere, debilitare & constringere valent, atque sic humorum effusioni extra sua vasa locum concedunt, vel etiam eorum liberum per canales suos fluxum, aut denique ingressum in eosdem, impediendo, illos stagnare faciunt, condensant, vel dissolvendo eos undequaque in cavitates educunt.

23. Motus corpori conciliatus moderatus uti valde salubris, non solummodo quia membranæ, nervi, ligamenta & omnia vasa tunc humectantur atque illinuntur, sed etiam imprimis, quia secretiones & excretiones tunc temporis optime procedunt; ita e contra *motus violentus* nimis & perpetuus uti semper corpori noxius, ita & ad Hydropem Ascitem non parum illud disponit, nam, dum omne, quod nutritioni inservire debebat, per sudores e corpore eliminat, vires facit labascere, humores reddit residuos condensatos, immeabiles, atque sic impedit æquabilem circulationem; sed producendo obstructions facit id, quod §. 18. *Quies* quid nimis protracta ad productionem morbi adferat, notum est præ omnibus iis; qui studiis incumbentes vitam sedentariam agunt, qui corpus suum vix moventes fibras habent musculares motui ineptas; hinc ingestorum accumulatio ciborum & potuum in primis viis fit, qui nec resolvi nec digeri

geri possunt, sed remoram patiuntur, unde assimilatio humorum impedita, deficiente vi vitæ, vasa magis magisque debilitantur, & humoribus crudis increffatis implentur, quo ipso autem circuitus sanguinis impeditur, vasa a corde remotissima, viscositate repleta, distenduntur, lateralia premunt, & humores in hisce stagnantes acriores fiunt, & ea rumpunt, unde hydrops.

24. Vitium circa *somnum & vigiliis* commissum symbolam suam quoque ad morbum conferre, extra dubitationis aleam positum esse puto: nam cuilibet notum, quod somnus perspirationem sanctorianam promoveat, hinc volatilia in diu protracto somno nimium quantum consumuntur & reliqua inspissantur, corde interim semper humores ad partes propellente, & motu musculorum voluntario deficiente, illi in vasis lateralibus accumulatur, caput repletur & cerebrum aggravatur: ex omnibus positis autem exsurgit facilis intellectus, quod secretio spirituum nervosorum impediatur, totum corpus tandem pituita frigida repleatur, & a vasis sic distentis, lateralibus pressis, oriuntur obstructions, oacochymia, hydrops. Vigiliæ immoderatae quia ponunt continuatam spirituum secretionem, exhausto iis sanguine, omnes vires corporis prosternunt, totum corpus exsiccant, unde, humoribus circuitui ineptis redditus, coctiones, nutritiones, impediuntur, & producitur sic illud, quod §. 18.

25. *Affectus animi* violentos totum corpus mirabiliter omnem in modum posse mutare & depravare, conceditur ab omnibus. Poterunt itaque quoscunque morbos producere, ergo & Asciten; dum enim aliquis vehementibus animi passionibus agitur, ejus cor vehementer pulsatur, interdum palpitatur, unde homo anhelat, sic diaphragma atque omnia viscera summopere sursum & deorsum moventur, arteriæ pulsu valido micant, venæ, quæ oculis apparent, turgent, actiones in corpore perturbantur, corpus incipit languescere, vires prosternuntur, reditus sanguinis venosi ad cor fit difficilior, unde obstructions, stagnationes & tandem Hy-

drops; hinc est, quod mulieres, quæ animi passionibus magis sunt obnoxix, quam viri, partim hanc ob causam citius in Hydropem incidant.

26. *Excretiones nimix* multorum existunt causa morborum, dum eliminantur retinenda, quibus corpus ad usus suos indiget. Quare non mirum videbitur, quod eas etiam ad causas procatarticas Ascitis referam, tantum id unicum considerationi B. L. proponens, illas huc a me referri, quatenus corpori per eas aufertur humidum, & hinc impeditur coctio prima, de qua cum omnis pendeat assimilatio, necesse erit, effectum illarum excretionum nimiarum esse cruditates in corpore natas, impeditam circulationem, turbatas secretiones, & hinc productum Hydropem. Pertinet huc excretio nimia *salivæ*, corpori siccitatem inducens; *bilis*, chylopoiesin primario instrumento suo orbans; *lymphæ* pancreatis & intestinorum, sanguinem similiter, ac in saliva, omni liquido emulgens; *sanguinis* denique præ cæteris, utpote a cujus debita copia corporis pendet vita, & diminutione minore majoreve debilitas totius vitæ major minorve; hinc nunc est, quod omnino tempore ab Auctoribus observati & annotati sint Hydropici facti post omnis generis diarrhœas diu continuatas, quia visceribus abdominalibus labefactatis, excoriatis, inflammatis, reliqua vasa & viscera, emuncta suis humoribus, debilitantur, unde, facta fluidorum jactura, reliquum, quod superest, liquidi per totum corporis habitum inspissatur, solida laxantur. Vid. *Hippocrat. sect. vi. aph. 43.* Idem hic potest dici de nimis evacuationibus sanguinis, quacunque hæ fiant ratione; nam sive per hæmorrhoidalia vasa, seu uterina in sequiore sexu, seu per nares, seu per alia quæcunque loca, contingat perditio laticis vitalis, Hydrops semper genitus constanter observatus est a Medicis. Ratio asserti una videtur esse, quod calor corpori innatus pro parte extinguatur, & quod vasa humoribus privata & exinanita sensim collabuntur, hinc sanguinis impetus langueat, humores in capillaribus hærentes amplius propelli non possint, sed stagent, obstructions faciant, & sic Hydropem accersant. Altera

ratio hujus rei est, quod, si febris insequatur nimias sanguinis evacuationes, vis vitæ ita aucta facile possit vasa rumpe- re & collectioni humorum extra illa locum concedere. Nam huc collimare videtur *Hippocrates* lib. 2. prædictionum di- cens: *cui multum sanguis sursum ac deorsum eruperit, & febris insuper accesserit, eum multa aqua repletum iri timor est.* Hinc patet ratio, quare familiaris admodum sit Ascites militibus, post accepta in bello vulnera multo sanguine orbatis. Nec obscurum est, cur enormem & diuturnum vomitum cruentum Hydrops insequatur, uti aliquoties fieri observavit *Experientissimus D. OOSTERDYK SCHACHT*, *supra omnes laudes meas positus, Præceptor meus omni semper honoris cultu venerandus.* Retenti, qui naturaliter ex corpore ex- cerni debent, humores hic æque incusantur, ac excretiones eorum nimia copia factæ. Sic bilis in intestina impedita excre- tio facit Icterus a regurgitato humore bilioso in sanguinem, quem penitus dissolvit, unde, præter alia mala multa, Hydrops. Quam salivæ, lymphæ pancreatis & intestinorum, deficiens in loca sua excretio, habeat efficaciam in corpus humanum ad pro- ductionem morborum Hydropicorum, patet vel ex eo unico, quod tunc privetur digestio præcipuo instrumento suo seu adjumento. Sanguinis evacuatio intercepta quam sæpe diri fiat causa Hydropis, innotuit ab omni tempore in suppres- sionibus ejus per hæmorrhoidalia vasa, aut naturalia mulie- rum, vel & per alia minus consueta loca fluere soliti. Ita *Hippocrates* aph. 12. sect. vi. docet, *si quis hæmorrhoides diu- turnas sistere velit, nisi una fluere sinatur, Hydropis vel tabis metum adfert.* Retentus enim antea fluere solitus sanguis va- sa magis magisque replet, laxiora & molliora reddit, ea si- mul distendit; hinc humores tardius moventur, lymphæ & serum in vasis accumulatur, stagnat, obstructions facit, adeo- que Hydropem. De Hydrope ex suppressis mensibus orto vid. *Bonet* sepulchr. lib. 3. sect. 21. obs. 21. §. 6. Non sine grata animi recordatione memini casus alicujus singularis, quem in Praxi *Clarissimi D. OOSTERDYK SCHACHT* occurrentem, ex Eiusdem benignissima ac fidelissima com-

municatione mihi hac æstate videre contigit. Erat puer octo annos natus, qui per duorum annorum spatium continuo mictu cruento, simul fluentibus hæmorrhoidibus, laboravit, cæterum bene sanus. Evenit huic misero, ut uterque simul fluxus uno tempore fuerit sponte suppressus, & mox infestari cœperit vero Ascite quem adeo sibi habuit infestum, ut tumor abdominis eum tandem post aliquot septimanarum spatium, quæsitis incassum auxiliis contra immanem & nimis adultum morbum, e vivis eripuerit. Rationem hujus rei dare supersedeo, quoniam nil, præter communem, post omnes suppressas evacuationes sanguineas oriri solitum, effectum hic agnosco.

27. Ex recensitis hæctenus causis Hydropem Asciten producentibus, patuit, ut opinor, quam multiplicem morbus originem habere possit. Adeoque etiam non difficilis erit evolutio rationum, quæ faciant, ut ex multis morbis gignatur Hydrops. Etenim omnes illi agnoscent unam vel plures ex jam memoratis causis pro suis causis proximis. Erit igitur naturæ & fabricæ corporis humani maxime consentaneum, ut Ascites propullulet ex iis morbis, qui easdem cum Ascite cognoscunt causas, vel qui pro effectu suo ponunt ea, quæ Asciti gignendo sunt idonea. Hinc omnes pertinaces viscerum obstructions, ut scirrhi Hepatis, Lienis, Pancreatis, Mesenterii, Renum, Intestinorum, huc referenda ex unanimi per observationes stabilito omnium consensu. Jam quoque patet, quare febres intermittentes, quartanæ diuturnæ, ultimo terminentur in Hydropem. vid *Nic. de Blegny Zodiac. Medico Gallic. Anno 2. p. m. 19*: cur idem fiat in fine morborum acutorum, imprimis ardentissimorum: nec obscurum est, cur Podagra, Melancholia, Scorbutus, & alii varii, apud Auctores Practicos prolixè inveniendi, eundem plane sæpe sortiantur finem. Hæc, utpote attendenti & morbi cujuslibet genium perspectum habenti clara, & utcunque ex antecedentibus intelligenda, prolixius deducere, esset peccare contra opinionem, quam de Lectoris Benevoli sagacitate & perspicacitate fovere humanitas me jubet.

Transeo

Transeo itaque ad enucleationem aliquot EFFECTUUM atque SYMPTOMATUM.

28. Primo statim initio morbi *pedes* apparent *œdematosi*: notum enim est, quod illa diathesis in corpore, qua sanguis circulationi est ineptus, primo omnium in locis a corde remotis fiat conspicua, sicque partes inferiores præ aliis inflentur. Si vero acciderit, vasa in abdomine quædam, ruptione facta, serum aquosum effudisse, tum illud ex natura omnium fluidorum descendit, qua ipsi conceditur iter, & propter tenuem fati peritonæi lamellam, minorem inveniens resistentiam, it ad *femora*, & ad *scrotum* in viris. Si cogitatur, quod per venas ab aqua compressas, humorum, quos continent, reditus impediatur, res fit clarior. Tument vero pedes maxime vesperi, quia tum circulatio in capillaribus tardior, & transpiratio ab ingruente frigore externo imminuitur; quare versus noctem tali tumore affectos homines audimus de *frigore* conquerentes. *Digitis impressi vestigia* ad tempus in tumore remanere non adeo mirum videtur consideranti, quod, labefactata valde fibrarum muscularium vi contractili, hæ non ita statim pressæ se restituere & reassurgere possint. Hæc vis a premente intus aqua eousque superatur, ut genitalia in magnum attollantur tumorem, & speciatim in viris generetur *Hydrocele*, tum sæpe etiam *Exomphalos* fiat. In quam vero molem tumens abdomen in Asciticis adscendat, supputare licet ex quantitate seri ex eo extracti, quam aliquando ad 56 pintas observavit *Petrus Pawius* obs. Anatom. obs. 29. & *C. stalp. van der Wiel* obs. rarior. p. 302 narrat ex *Job. Mekerano*, quod ex cadavere *Hydropicæ* extractæ sint aquæ 125 lb. Quod brevi temporis spatio recrefcit & *augefcit aqua*, etiamsi fuerit educta, patuit ex illo casu, quem, cum degerem Parisiis, ante tres annos observavi in praxi chirurgica *Cl. Morand Jun.* Membri societ. reg. scientiar. qui in Ascitico intra 22 menses quinquagesies septies Paracentesin instituit, & ad 490 pintas aquæ eduxit, uti prolixius *B. L.* historiam hanc recensitam reperire poterit in *Act. Acad. reg. scient. de A. 1721* brevi edendis. *Strepitum*

flu-

fluctuantis in abdomine *aquæ* audiri, si moveatur corpus, forte non adeo bene concipi posse dicet ille, qui abdomen semper plenum reperiri ex Anatomicis edoctus est, & hinc, ubi extra vasa sua iverit serum, hoc tantum præcise spatii occupare putabit, quantum sibi paraverit premendo intestina & elevando peritonæum extrorsum, adeoque, perfecte repleta cavitate abdominis, æque impossibile esse, ut strepitus audiatur, ac non auditur ab aqua, qua vas aliquod accurate repletum est, quacunque etiam vi illud moveas. Haud tamen putem, inexplicabile esse ita phænomenon, ut totum debeat in dubium vocari, quod tot celebrium Auctorum nititur observationibus; nam verum quidem est, quod abdomen in vivo sano corpore semper sit plenum, quia omnes partes insita sibi gaudent vi contractili, qua quælibet, quantum premitur, tantum etiam resistit: sed ubi vis hæc destructa vel saltem debilitata est, uti in Hydrope id contingit, nullam video difficultatem, quare non possit aqua in abdomine extra vasa sua hærens, in uno loco collecta, in illum premendo & extendendo magis agere quam in alium; cedentibus enim facile integumentis abdomini superstratis, ex uno latere in alterum moto corpore, aqua sub iis contenta potest sequi motum hunc impressum, atque sic strepitum excitare. Accedit, quod intestina quoque hoc in casu minus resistent, & sic majus minusve concedant spatium superincumbenti fluido. Fit autem hoc magis intelligibile, quando viscera abdominalia ab aqua putrescente consumta, & sic plane omnis, quæ ab iis adhuc pependerit, sublata resistentia, cavitasque major facta est. *Dyspnœa* ægro molesta hic oritur ab impedimento, quod liber diaphragmatis motus, ad liberam respirationem requisitus, patitur ab aquarum mole, quæ, illud sursum premendo, arctat pectus & proin pulmonibus, ut se libere expandere possint, non permittit. Hinc est, quod plerumque hanc dyspnœam comitetur *tussis sicca*, quæ excitata est, ut lento & ferme aliquando penitus sublato transitui sanguinis per pulmones pararetur via: quid quod ex obstructis & expansis nimium vesiculis pulmonalibus

bus difficultas respirandi transeat in *Orthopnœam*. vid. Cl. *Ruy-schius* in observ. Anat. Chirurg. obs. 19. *Sensu gravitatis & torpore* afficiuntur omnes *Ascitici*, tum propter molem, quæ visceribus abdominis incumbit, & hinc majus pondus corpori conciliat, quod in sano nullo modo sentitur, quia omnes humores vasis suis coërciti non aggravant partes circumjacentes; tum propter impeditum descensum diaphragmatis, & superficiem ejus superiorem, pectus spectantem, magis convexam redditam, eoque ipso gravem factam pulmōni, in inspiratione expandere se nitenti; inprimis vero *in somno* molesta illa fit ægro *delassatio*, dum hoc tempore adhuc magis serum istud aquosum potest premere versus diaphragma & impedire liberam respirationem. Post partum hæcce molestia, ob distentum ventriculum & auxiliatrices prementi aquæ præbentem manus, augetur eousque, ut ægri *de angustiis præcordiorum & metu suffocationis* conquerantur. Explicat adhuc magis modo memorata phænomena pressio, quam sufferunt vasa sanguinea, uti reliqua viscera omnia, unde sanguinis versus inferiora itus & reditus impeditur, congestio versus superiora promovetur. Hinc, quia sanguini liberior patet via sursum, *calor capitis* ex *Ascite* ægrum infestans intelligitur; quin & patet ratio, quare *superiores corporis partes* eo magis *extenuentur*, quo inferiorum major est intumescencia, quippe compressis omnibus chylopoiesi inservientibus vasis nutritio impeditur. *Alvus dura* ex sola compressione intestinorum a sero incumbente intelligitur, qua *fæces, quæ ejiciuntur, caprinis stercoreibus similes sunt, una cum mucosa eliquatione*, uti loquitur *Hippocrates* coac. prænot. p. m. 194. Fæces enim alvinæ quando libere satis, propter angustatas vias, quas transire debent, non exire possunt, exsiccatae, inter se minus cohærentes, abradunt mucum, intestinorum cavum oblinientem, & eum simul secum auferunt. *Urina parca* redditur ex duplici causa, altera, quia renes & ureteres comprimuntur, nec concedunt spatium secretioni & excretioni urinæ debitum, altera, quia id, quod ex lege naturæ per ductus urinarios excerni debuerat, depo-

nitur in cavitatem abdominis & in cæteras partes eidem excipiendo jam aptas. Ex eadem ratione *sudor* in Asciticis fit *nullus*, quod materia huic efficiendo destinata aliorum determinata est. Exhausta itaque erit universa massa sanguinis sero suo, seu tenui illo liquido, quod, constituens materiem morbi, omne ad infimum ventrem defertur. Orbatus vero sanguis parte maxime fluida vel aquosa, exsiccabitur, & inexplebile excitabit *desiderium potus*, quod vocamus *sitim*, quæ Asciticos perpetuo urget, juxta illud:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ;
cujus fundamentum rei Poëta non ignoravisse videtur, quando canit:

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Horat. Lib. II. p. 156.

Sed est etiam alia adhuc producens magis intensam illam ac non levandam sitim, nempe putredo colluviei serosæ, quæ a mora in corpore longiore in loco calido clauso producitur, juxta illud:

Putrescunt facile, ni moveantur aquæ;
putrefacta vero aqua contrahit acrimoniam, & ut sic dicam, alcaliscentiam, quæ semper major, quo diutius duravit malum; & quia portio ejus, per exhalationem ad minimum, miscetur sanguini, primo excitat *febrim lentam*, dein *calidam*, hinc *ulcera*, *gangrænas*, ac, ubi materies ad vasa arteriosa minima cerebri devenerit, ab erosione iis, quæ ad nares distribuuntur, *hæmorrhagias narium*, viscerum tandem abdominalium vel quorundam vel omnium *sphacelum*, sic *mortem* prius viscerum, & hinc pendentem totius.

29. Ad PROGNOSIN morbi progressurus, vix efficacem ab arte operam polliceri posse mihi videor. Suadet hoc fere Gallorum proverbium: (*Hydropique fait aux Medecins la nique:*) *nil nisi contemptum reportant ex sanando Hydrope Medici.* Adeo sane difficiles curatu morbi Hydropici habentur: nec sine cau-

causa. Sic namque ab omni tempore censuere Artis Antistites. Operam dabo, ut intelligatur, quando desperatus, quando spem curæ recipiendæ det Ascites. Pro varietate causæ, ex qua ortus morbus, major minorve est difficultas eum curandi. Qui Ascites est recens, a nullo antecedente morbo cœpit, in juvenili & robusto corpore, ubi viscera bene sunt constituta, curæ facit spem, eamque majorem, si æger non multum sitiatur, si appetat, alvus non sit adstricta, urina reddatur quantitati potus assumpti respondens, aut etiam eam excedens, ut & si ex assumptis mutetur. Quo vero magis est inveteratus morbus, in ægro ætatis proVectioris, vires sentiuntur deficere, symptomata adsunt multa, gravia, v. g. virium plenaria prostratio, tussis magna, Orthopnoea, fitis ingens nec levanda, alvus dura, prægressi sunt morbi acuti; si causa proxima ruptio vasorum, aut scirrhi viscerum, si ortum habet a magnis hæmorrhagiis, & maxime, si viscera gangræna affecta vel sphacelata sunt, tunc raro vel plane non ad sanitatem perducitur morbus; conf. *Hippocrat.* aph. 47. sect. VII. sect. VI. aph. 35. sect. VII. aph. 55. de morbis lib. IV. de prædictionibus lib. II. *Corn. Cels.* de Medic. lib. 2. cap. 8. An Hydrops Ascites limosus, membranis inclusus curari possit, non ausim affirmare, cum eum incurabilem pronunciet *Præclariss. F. Ruysch.* in observ. chirurg. obs. 46. si itaque unquam, certe hic locum habet illud, quando dicitur, *non esse in Medico semper relevetur ut æger.* Si tamen occurrat curandus Medico Ascites, quomodo tunc sit procedendum, & ad quæ attendendum, jam breviter sum traditurus.

30. Tres sunt Hydropis Ascitis CURANDI INDICATIONES. *Prima* est, ut liber concilietur fluxus liquori stagnanti; *secunda*, ut lymphæ extravasata, quæ in cavitates est effusa, educatur; *tertia*, ut labefactata viscera, atque vasa corroborentur, & eorum pristinus tonus restituatur. PRIMÆ INDICATIONI satisfaciunt medicamenta, quæ

(1) vitam debilem excitant, (2) omnia impedimenta, uti obstructions, tumores, & scirrhus in hepate, liene, pancreate, mesenterii glandulis, & reliquis partibus, tollunt;

(3) quæ liquores nimis tenaces solvunt. Primum obtinemus corroborantibus, aperientibus, & si fitis valida non urgeat, penetrantibus atque leniter stimulantibus, qualia, ut ex multis selecta, ob peculiare vires ab Auctoribus hic valde commendata, sunt sequentia: Rad. quinque aperientes, Aristoloch. utriusque, Helen. Valerian. Imperat. Eryng. Irid. Flor. Sil. montan. Gramin. Herb. Eupator. Absinth. Abrot. Rut. Mar. rub. Agrimon. Tragosel. Serpil. Thym. Calamint. montan. Fl. Rorismarin. Hyper. Cent. minor. Genist. Summit. Tanacet. Absinth. Bacc. Junip. Laur. ex quibus secundum libitum fiunt decocta, vina vel cerevisiæ medicatæ; præ omnibus Absinthii succus convenit in Hydrope a frigida materia pituitosa &c. orto; sed ubi hepar vel aliquod aliud viscus tumore scirrhuso est obsessum, maxime nocet, uti etiam in cruditate eorum. A quibusdam Practicis summo cum successu exhiberi solent vina chalybeata vel aquæ minerales. Si interim fitis & febris valde urgent, tunc a præcedentibus calidis remediis paululum est abstinendum, & in usum sunt vocanda, quæ sitim extinguunt & æstum temperant; quod fit variis succis ex refrigerantibus fructibus & herbis recenter expressis, e. g. ex malis Aurant. Citr. Herb. Fumar. Plantag. Acetos. Acetosel. Cichor. Sonchø, Tarax. Lactuc. Portulac, ut & pluribus aliis; quibus accedunt quædam chemica, uti Cremor Tart. Nitr. purificat. Spirit. Nitr. dulc. Vitriol. Salis. Ad secundum faciunt ea, quæ causam comprimantem, obstruentem, rumpentemve tollunt, si fieri possit, vel emendant sæpe, adhibitis aquis mineralibus. Tertio scopo inserviunt partim remedia supra allegata, partim mercurialia atque antimoniata chemia rite præparata, uti Mercur. præcipit. rub. Merc. dulc. Turb. mineral. Tart. emet. partim salia alcalina fixa atque volatilia, uti Sal. Card. Bened. Absinth. Scord. Stip. fabar. Genist. Tart. Cineres clavellati, Sal. ammoniac. C. Cervi. Sang. human. Offium. Hic non possum non, quin commemorem (quam acceptam refero benignissimæ Cl. OOSTERDYK SCHACHT autopæ communicationi) methodum Cl. Archibaldi Pitcarnii, qui

qui bis, prius in Scotia, & altera vice hic Lugduni Batavorum, Asciten, procurata salivatione per Mercurialia, sanavit, quamvis dolendum, quod noluerit aperire signa, quibus fieret certus, curam hanc posse institui.

31. SECUNDA INDICATIO variis quidem modis & remediis effici potest; scilicet 1. Paracentesi 2. Purgatione per alvum. 3. Vomitu. 4. Diuresi. 5. Dissipatione. 6. Emissariis paratis novis. *Paracentesis* potest tantum cum spe futuræ salutis institui in illo Ascite, qui est recens adhuc, & ortus a causa quadam extrinsecus cito applicata, veluti, si quis post magnam fatigationem valde calefactus, multum sitiens, subito bibit frigidam; vel si quis cachexia laborans magna copia aquæ Spadanæ corpus suum replet; præterea requiritur, ut æger sit juvenis, viribus nondum destitutus, viscera habeat adhuc bene constituta, nec aqua effusa sit putrida. Ubi autem hæc absunt, vel contraria ratione se omnia habent, Paracentesis potius mortem accelerat, tantum abest, ut salutem ægro promittat, nam latice aquoso extracto vasa flaccida, putrefacta, ab appellente sanguine rumpuntur, concidunt, & corrumpuntur. Sic etiam ubi Ascites habuerit pro materia humorem lentum, limosum, inutilem plane esse putarim Paracentesios administrationem, nam prolici tantum poterit ichor tenuis, quicquid autem est crassi, remanebit, & frustraneam operosæ operationis arguet institutionem vid. *Cl. Ruysch* l. c. obs. 45. Uti autem nulla tam est regula firma, quin patiatur exceptionem; sic & in perforatione abdominis semper attendendum est ad symptomata, quæ aliquando tam gravia, ut ad illa mitiganda, susque deque habitis contraindicantibus, debeat fieri. Cæterum de modo Paracentesin instituendi hic nil commemoro, quia de hac operatione in fine dissert. peculiariter agam.

32. Ut *per alvum* educantur aquæ, si nil obstat, & vires ægri permittunt, viscera atque vasa nondum sunt labefactata, nec corrupta, statim ab Hydragogis initium est faciendum & repetitis vicibus in iis persistendum, si vires ægri ferre queant, donec aquæ fere omnes expulsæ sunt, aliter denuo

affatim colligitur earum copia. Hunc in finem eligimus ea Hydragoga, quæ a felicissimis Practicis maxime hic commendantur, uti sunt Rad. Sem. Cortex medianus & succus Ebuli, Sambuci; Rad. Ireos. Mechoacan. Jalap. Bryon. Soldanel. Elater. Granadil. Fol. Senn. mund. Scammon. Diagrid. Resin. Jalapp. Gum. Gutt. Tinct. Jalapp. Elect. Hydragog. Sylv. Syrup. Rhamni Cathart. Spinæ Cervinæ &c. Ex quibus variæ pro ratione circumstantiarum formulæ concinnantur v. g. ℞. Cort. med. Samb. M. j. Aq. & seri lactis ana sibi. coquantur & dividantur in partes duas, quarum unam mane, alteram vesperi assumat æger: vel ℞. Fol. Senn. mund. ℥ij. Rhei el. ℥i℥. Tart. Rhenan. Flaved. cort. Citr. ana ℥i. coquantur leniter in aqua Cichor. colaturæ ℥i℥. addantur syrup. spin. cervinæ ℥ii. M. F. Haustus: vel ℞. Cort. med. Samb. ℥℥. Rad. Aristoloch. ℥ij. Jalap. Bryon. Irid. Floren. ana ℥℥. Herb. Absinth. Menth. crisp. ana M. j. Agaric. leviss. ℥iij. Cinnamom ℥ij. conscissa & confracta dentur pro vino medicato, hisce affundantur vini Rhenani pint. iij, hujus assumat æger singulo mane ℥ij. Inter remedia maxime laudatur succ. Ireos vulg. ℥℥. vel ℥i. una vice sumenda; alii Rad. Ireos Florent. recent. ℥i vel ℥ij. in vehiculo quodam exhibent: alii Tinct. Jalap. ab ℥i. ad ℥ij. pro haustu propinant. Loco purgantium interne assumendorum nonnulli etiam Practici Clysteres in usum revocant, e. g. ℞. Pulp. Colocynth. ℥i. infunde in vini alb. Gallici ℥iij. stent per noctem, colaturæ addantur decoct. ex Rad. Angelic. Fl. chamæmel. Herb. anethi ℥vi. Ol. lini ℥i℥. cum pauxillo falis, M. F. Clyster: vel ℞. Herb. Gratiol. Soldanel. Cort. med. Sambuc. ana M. j. Fl. Genist. piij Bacc. Junip. Lauri ana ℥ij. Sem. Dauci cret. Carvi ana ℥iij. coquantur s. artem in sufficiente quantitate seri lactis, ad colat. ℥ix. add. Elect. Diacathol ℥ij. M. F. Clyfma: vel ℞. Herb. Cent. minor. Rut. Marrub. ana M. j. Rad. Ireos nostr. Bryon. alb. Ebuli, ana ℥℥. Summ. Absinth. Tanacet. ana p. ij. Bacc. Lauri ℥ij. Sem Cumin. ℥i. coquantur S. A. in Q. S. aquæ, Colat. ℥x. add. Elect. Hieræ picræ Galeni ℥i℥. M. F. Enema; hisce clyste.

steribus etiam addi potest Infus. Croci Metallor. vel urinæ hominis sani, vel Terebinth. in vitello ovorum solutæ q. s. Notari tamen hic velim cum *Excellentiss. Sydenhamo* in oper. p. 614. quod ea, de quibus modo dixi, convenient iis solum, qui purgati sunt faciles, illis autem, qui ægre purgantur, lenia cathartica sint danda, & recensita Hydragoga tantum, ut stimulent, addenda. Rationem vid. l. c. Fortasse non ingratum fuerit B. Lectori ex *Francisco Porto* legere remedia, quibus ad educendam per alvum aquam tunc temporis usi fuerint? ita autem ille Medic. Decad. lib. VIII. cap. 16. canit:

Purgabit Agaricus ergo

Et Rosa, quæ pallet, Diacarthamus & Colocynthis,

Quique trochisci ab ea celebres dicuntur Albandal.

E. Thymelea etiam pilulæ, Lathyrque, Sambucus,

Cyclamenque, Ebulus, Cucumisque asininus, & Iris.

Quæ ne ventriculo noceant jecorique, Galanga,

Spicaque, Cinnameus cortex, Piper adjiciantur,

Zinziber, & Marathri cum semine semen Anisi.

33. Hydropem recentem ex nulla prægressa inflammatione, in robusto & juvenili corpore ortum, *emetiis* sanari, observationes docent; hinc si Medicus primum summa cum attentione ad ægri vires circumspiciat & omnia ejus phænomena rite observet, atque si nil obstet, facile methodum *Cl. Sydenhami*, aquam vomitoriis educendi, sequi potest, nam concussione partium solidarum his excitata, liquida stagnantia dissolvuntur atque expelluntur; oportet quidem hic monere, quod leniora emetica nil agant in Ascite, sed fortiora ex brevibus intervallis repetita palmam reliquis præripiant, ob eandem rationem, datam in purgantibus: hunc in finem maxime laudat *Cælius Aurelianus* Rad. Verat. vel decoctum Hellebori, quod non solummodo per superiora, sed simul per inferiora aquas ejicit. Remedia efficacia, quæ maxime hic locum habent, sunt, quæ partim ex minerali, partim ex vegetabili regno, peti possunt, uti Tart. Emet. Vitriol. alb. Mercur. Vitæ, Turb. Mineral. Tart. Vitriolat. suc-

fuccus recens expressus, Cort. med. Sambuc. Raphan. Elater. Fol. Soldanel. Infus. Fol. Asar. Croci Metallor. Regul. Antimon. & similia.

34. Multos Asciticos *diureticis* liberatos fuisse, varia apud Practicos extant exempla; hinc jure merito ea medicamenta maxime laudantur, & aliis præferuntur, quia his vires ægri non adeo prosternuntur, ut præcedentibus methodis, nam aperiunt, & simul serum ad renes determinant, atque per urinæ vias expellunt aquas. Inter hæc medicamenta diuretica præcipue eminent, quæ partim ex vegetabili, & partim ex animali regno petuntur, uti sunt Rad. Apii palust. Petrosel. Asparag. Fœnicul. Rusci, Eryng. Lign. Junip. Fol. Salv. Polygo. Ceba, Allium, Flor. Genist. Bacc. Laur. Junip. Sem. Apii. Fœnicul. Dauci, Urticæ Roman. Petrosel. Macedon. Maxime hic commendat *Cl. Sydenham.* omn^{es} sales lixiviosos & cineres ex variis herbis præparatos. Inter animalia inprimis excellunt Lumbrici terrestr. Aselli, Scarabæi, Cicadæ, Formicæ, & plura alia, quæ in pulveres redacta cum quodam vehiculo exhiberi possunt: attamen, non nisi præmonente natura, viam hanc per urinas educendi aquas eligi debere firmiter persuasus sum. Qua ratione aquæ, etiam in cavitates jam effusæ, per vias denuo urinarias possint educi, non quidem adeo manifeste rigoroso patet inquisitori; nihilo tamen minus non incredibilis videtur res consideranti illud, quod *Bartholinus* in Actis Hafn. An. 1673. obs. 126. refert, fuisse aliquando assumptæ per ospilulæ purgantis frustum magnum cum lotio excretum, nam quamvis hic omnia incerta causarum ratione, uti fatetur Bartholinus, non tamen proinde statim falsa, cum sensibus revera appareant; quod nobis hic sufficit.

35. Quinta methodus, aquæ exitum conciliandi *per dissipationem*, perficitur i per omnia illa, quæ externe ad corpus applicata, excitando sudores, eliciunt extrorsum per cutim aquas, uti jam apud antiquissimos in usu erat, & adhuc hodie in Asia & Africa esse perhibetur. Obtinetur autem hoc vel per calorem ad focum, in hypocausto ad furnum,

num, vel in arena calida, fimo animalium, in quibus sepelitur æger, vel sale, qui ad loca affecta contusus apponitur: quorum quale eligendum præ alio, sola Medici statuit prudentia. 2 Omnis hic in usum vocatur mos in Europa imprimis receptus, per remedia, diaphoretica dicta, materiam perspirabilem educentia; vel externe ad corpus admovenda, veluti sunt balnea vaporis, spiritus vini accensus seu in cista, seu in lecto; vel in corpus ingerenda; & hunc in finem laudamus Theriac. Diatesar. Mesuæ, Andromachi, Mithridat. Damocratis, Diascord. Fracastor. Sylvii, Rad. Salsaparill. Chin. Imperat. Angelic. Gentian. Zedoar. Lig. Guajac. Sassafr. Herb. Card. Bened. Scord. Cent. minor. Absinth. Abrotan. Rorismarin. Origan. Bacc. Lauri, Sem. filer. montan. & fere omnia aromatica. Interim tamen monendum est, ut æger a potu abstineat, quantum possibile est, ne corpus iterum de novo aqua repleatur: & ne frictiones negligantur. Non possum hic præterire, quod observavit *Bartholinus* Hist. Anat. Cent. 5. obs. 45. de efficacia unicornu Groenlandici, nam hujus solius usu, procurato sudore, Matronam 60 annorum liberatam dicit ab Ascite, postquam multa alia, eaque diverso scopo, remedia frustra adhibita essent.

36. Sexta denique methodus, qua educuntur aquæ *per emissaria facta nova*, locum tantum habet, quando materies Ascitis nondum in cavitatem abdominis effusa est, sed hæret adhuc in panniculo adiposo. Si tunc viscera nondum corrupta, poterit id, quod olim faciebant *Ægyptii*, *Hippocrates*, & hodie adhuc faciunt bono cum successu *Chinenses*, audacter fieri; inuritur scilicet ferro ignito locus sub genu, & postmodum crusta facta seu eschara butyro emollitur, ut cadat, & sic concedat viam exituræ aquæ; quoniam enim panniculus adiposus totus in toto corpore habet communicationem per omnes partes productus, non absque ratione hoc modo eductio per derivationem aquæ obtineri posse speratur. Ad eundem scopum faciunt eidem rationi innixa emissaria, parata per vesicatoria, lanceolas, fila seu setacea, de quibus, utpote magis apud nos notis operationi-

bus, nil attinet dicere: conf. *Hippocrates* de locis in homine, de morbis popular. sect. 7^{ima}, & *Albucaſis* methodus medendi certa lib. 1. cap. 32. lib. 2. c. 54. Unam adhuc oportet, ut addam in hac methodo observandam magni sane momenti, cautelam. Est vero hæc, ut exeuntibus per emissaria facta aquis pars antea tumefacta nunc subsidens accurate ligetur circumductis fasciis, ni enim hoc fiat, membrana adiposa, dimissa aqua, nunc flaccescens, si hæreat aliquamdiu laxa, non compressa, concipit gangrænam.

37. Hisce peractis, necesse est, omne molimen hic impendere, ut TERTIÆ INDICATIONI fatis faciamus, quæ consistit in eo, ut labefactorum viscerum & vasorum tonus restituatur, atque fibræ roborentur; ad hoc requiruntur varia remediorum genera, quæ virtute aromatico-balsamica prædita leniter adstringunt & corroborant, qualia sunt Cinnamom. Nux moschat. Caryophyll. aromat. Crocus, Absinth. Agrimon. Vinca pervinca, Rad. Enul. Campan. Cent. minor. Allium, Calam. aromat. Rosmarin. Salvia, Dictam. Cret. Rad. Caryophyll. Millefol. Cort. flaved. Aurant. Citr. Rad. Galang. Rhabarb. tost. Croc. Mart. Chalybs, Conf. Anthos, Absinth. Cort. Citr. Cond. Vinum rubrum: inprimis huc faciunt vina generosa & chalybeata, vina rubra, Hispanica, Malvatica, & Rhenana. Si oporteret ex modo recensitis formulam præscribere, sequentem cum fructu exhiberi posse putarem: ℞. Limatur. Chalyb. ℥j. Cinnam ℥iſſ Sacch. alb. ℥ij M. F. Pulvis subtilissimus, hujus ℥i. bis de die assumat æger cum pauxillo vin. Rhenan. vel ℞. Limatur. Chalyb. Cort. Peruvian. ana ℥iij. Nuc moschat. Caryophyl. aromat. ana ℥i. Vini Rhenan. generosiss. ℥biiij. F. S. A. vinum medicatum, hujus ter de die assumat æger ℥ij. Præter hæc convenit, post curam Ascitis quacunque methodo feliciter absolutam, ut talis commendetur usus sex rerum non naturalium, qui & impediatur de novo generari aquas, & sanguinem corroboret. Prior obtinetur intentio, victu sicco, veluti sunt panis tostus, vel biscoctus, carnes assæ; abstinentia a potu, inprimis tenui; evitatione aëris humidum; somno non nimis diu
pro-

protracto; motu corporis ad initia levis sudoris; & affectibus animi moderatis. Posterior intentio impletur 1. per modo dicta; 2. per omnia ea, quæ sanguinem laudabilem generant & spiritus reficiunt; quò faciunt cibi eupepti; potus vini vel cerevisiæ meracioris, puri, aut quandoque imprægnati calefacientibus & roborantibus, uti est vinum absinthites, modo ne sint spiritus per destillationem elicit, monente *Sydenhamo* oper. p. 631; & motus fibrarum muscularium, quorsum referuntur, præ cæteris vectio in equo, & frictiones: nam hac via debitæ consistentiæ obtinebitur sanguis, & vasa poterunt coërcere suos humores. Sic ergo via præcludetur morbo. §. 14.

T A N T U M.

DE PARACENTESI.

§. 1.

PARACENTESIS ABDOMINIS est illa operatio chirurgica, quando in Asciticis abdomen fero vel aqua distentum, instrumento idoneo perforatur seu percutitur, eum in finem, ut aqua in cavitate abdominis collecta, ibique tanquam in utre inclusa hærens, evacuetur, & sanitas restituatur, vel ad minimum symptomata mitigentur, & vita protrahatur; dicitur sic græca voce a παρακεντέω *compungo*, & latine vocatur *acu-punctura*, *perforatio abdominis*.

§. 2. Quam antiqua sit paracentesis operatio, aut quot variis modis passim institui soleat, modo docere supervacaneum existimo: tantum in id intentus, ut traderem brevissimis ipsam operationem, cum suis maxime necessariis circumstantiis, hodie usitatam. Dispescam autem dicenda melioris ordinis ergo in tres partes; quarum prima continebit ea, quæ ante susceptam paracentesin considerata; 2da,

quæ in operatione ipsa factu sunt necessaria; & 3tia, quæ peracta operatione adhuc requiruntur, ut absolvatur cura.

§. 3. Antequam instituatur operatio, primo omnium circumspicit Medicus de indicantibus, quæ vel suadeant vel dissuadeant operationem. De his autem jam actum in dissert. §. 31. Tum, ubi jam conclusum, esse faciendam pertusionem abdominis, priusquam id fiat, Operaturus disponit instrumenta in peculiari tabula, ita, ut ad manus sint, quibus opus est; qualia sunt acus cannulata acuta triangularis, quæ Gallorum vocabulo *Trois-quarts* vocatur, stylus argenteus, fasciæ lintæ vel coriaceæ longæ, & latæ, compressæ, plumaceolæ, emplastra defensiva, vasculum cum oleo. Jam dispiciendum est de ægri situ, quem commodissimum, cum hodiernis in Gallia Chirurgis celebribus, duco esse, ut æger in sedili collocetur, facilius enim ita effluens aqua in infra positum inter pedes ægri vas excipietur, & lectus haud inquinatus ad recipiendum ægrum erit aptior, ut taceam, quod hic situs cum ad meliorem distensionem loci perforandi, tum ad proniorem aquæ effluxum multum faciat. Collocato sic in sedili ægro, necesse est, ut designetur locus pungendus, quem aliqui majoris cautionis gratia atramento notandum suadent; sed hoc quilibet vel faciendum vel omittendum dijudicet, prout magis vel minus putat sibi erroris evitacionem futuram difficilem vel facilem. Majoris momenti est determinare prius, quis præcise locus pungendus sit. Variæ sunt hic Auctorum sententiæ, quas excutere meum hic non est, & de quibus videri possunt *Celsus* lib. 7. cap. 15. *H. F. ab Aquapend.* oper. Chirurg. p. m. 520. seq. & *Dionis cours d'operat. de chirurgie* p. m. 107. Ego hic brevitati studens, sic statuo: quod ille locus sit eligendus, qui habeat duas hasce conditiones, 1. in quo minus est periculi, 2. in quo commodissime omnium evacuatio fieri potest. Talis autem, qui possideat dictas binas conditiones, vel sponte monstratur a natura, vel non. Monstrat eum natura in umbilico, ut docet *H. F. ab Aquapend.* oper. chirurg. p. 521. quando ille ita laxatus,

xatus apertusque est, aut tumens, ut ab exteriori parte ad internam cavitatem, & aquam ipsam, tenuissima cutis tantum intercedat, quam vel ipso tactu, digitique compressione, ac perspicuitate deprehendes: & tunc umbilicus perforandus. Si locus se non commonstrat, instituenda est punctio 3 transversorum pollicum longitudine infra umbilicum, & eadem distantia a linea alba, mensura in corpore sano intellecta, seu, quod eodem redit, in loco medio, qui est inter umbilicum & eminentiam ossis ilei, oblique versus inferiora inveniendus: sic enim & evitabitur aponeurosis musculorum, & aquæ pondus, maxime sic distendere ventrem potens, operationis bonum non parum facilitabit successum. In utro præcise latere perforatio debeat fieri, an juxta Veteres in illo, quod est a fonte Ascitis aversum, non definivero, quia ab hodiernis in hac arte Magistris non observatur. Vid. interim *H. Fabr. ab Aquapend.* l. c. & *Dionis* l. c. p. 105.

§. 4. Loco determinato, qui debeat perforari, & ægro apte collocato, dum minister, pone ægrum stans, ambabus suis manibus premit abdomen, quo versus locum pungendum aqua impulsæ eundem faciat magis tumere & prominere, Chirurgus acum cannulatam, oleo inunctam, dextra sua prehendit ita, ut ansa ejus firmiter incumbat volæ manus ad radicem pollicis, prominente inter duos digitos maximos, ad summum ad 2 digitorum transversorum distantiam, extremitate cannulæ cum acu, quam simul cum cannula una vice adigit in abdomen usque ad prominentes duos digitos ei incumbentes. Non puto hic necessarium esse, ut sit anxius Operator de directione, juxta quam debeat Paracentesis fieri, an longitudinaliter, an transverse, an oblique; nam in loco dicto §. 3. ubi fit Paracentesis, eandem læsionem infert muscoli transversæ, imprimis si consideretur, instrumentum hic vulnerans esse triangulum. Perforato sic abdomine, mox exempta acu, cannula relicta, aqua effluit, in suppositum inter pedes ægri vas excipienda, quam, non obstante plerorumque praxi, (ab *Hippocrate* sect. VI. aph. 27. s. II. aph. 51. & *Celso* lib. 2. c. 8. firmata) omnem simul educi debere af-

fero, observata solum, a *Clariff.* BOERHAAVIO notata, ea cautione, ut abdomen pro eductæ proportionē aquæ circumductis fasciis, ex corio vel linteo paratis, ab aliquo ministrorum comprimatur, ita ut nullum vacuum remaneat; nam hac methodo una prohibetur, *ne vasa & viscera laxa & pendula fluctuent in inani post evacuationem abdomine*, uti graviter monet *Experientiff.* D. BOERHAAVE aph. 1240. Cum alias, hac abdominis strictione neglecta, vasa nunc libera, & minus resistentia, magna vi implerentur sanguine, caput e contra eodem orbaretur, & sic ægro mors acceleraretur, uti sæpe contigit. Si interea temporis, dum aqua effluit, vires æger dejectas sentiat, illas & spiritus refocillantia propinare convenit. Si vero acciderit, ut ob intestinum vulnere admotum, aqua non possit exire, stylo obtuso per cannulam adactō retrudatur illud necesse est, quemadmodum hoc observatum gratus memini a *Clariff.* ALBINO *Præceptore meo nunquam non colendo.*

§. 5. Peracta Paracentesi & educta omni simul aqua, ante omnia videndum, ut abdomen fasciis sit constriictum, vasaque & viscera compressa pro scopo, quem dixi §. 4. Extrahenda itaque jam est cannula, & vulnus consolidandum; quod facili negotio fit ab ipsius vitæ in ægro efficacia, nam cutis, musculi & peritonæum, vi fibrarum suarum contractilium, sponte operient foramen, sic ut nil amplius hic sit factu opus, quam ut imponatur plumaceola vel emplastrum aliquod defendens v. g. Vigonis, aut illud, quod dicitur Gratia Dei, simileve, & huic superimponatur compressa una vel altera, fascia conveniente firmanda; cætera vero ad perfectam consolidationem soli ad omnia sibi sufficienti naturæ committantur. Jam nil restat, quam ut prohibeatur, ne serum aquosum de novo in cava abdominis colligatur; id quod perficitur applicatis fomentis calidis, vel medicamentis alio modo paratis, quæ ex adstringentibus paululum & roborantibus sint conflata, atque tandem præscribatur usus sex rerum non naturalium, uti habetur dissert. §. ultimo.

COROLLARIA.

I.

Qui non novit Chirurgiam, ineptus est Medicus.

II.

Morbi interni congruunt cum morbis externis.

III.

Vita superstes in ægro facit, ut Medicus possit remediis suis repellere morbum.

IV.

Extra ministerium naturæ qui facit Medicus, imprudenter agit.

V.

Ex ægro, non ex libris, discendum Medico, quid contra præsentem morbum agendum.

VI.

Sæpe per aliquot annos miasma luis venereæ delitescit in corpore, sine ullis manifestis signis.

VII.

Lues venerea non nisi sanguinem liquefacientibus curatur.

VIII.

Gonorrhœa male per salivationem curatur.

IX.

Omnes morbi Partheniaci unicam agnoscunt causam plethoram.

X.

Nemo vel unum diem vivit sine febre.

XI.

Nil magis exitiale est Medicinæ, quam jactatio remediorum specificorum.

XII.

In Nephritide a calculo male dantur remedia stimulantia, balsamica, diuretica.

XIII.

Ubi maxima copia sanguinis, ibi est maxima diâdesis ad putredinem.

XIV.

Corpus nostrum ab ipsa vita disponitur ad putredinem.

XV.

Maritus fœcundus & uxor fœcunda possunt sterile matrimonium habere.

HONORI ET MERITIS

Eximii Doctissimique Juvenis Domini

JACOBI VAN MUNSTER,

*Dissertatione publica de HYDROPE ASCITE summos in
MEDICINA honores adipiscentis.*

Quid lyrâ laudes tenui decoras
Concinam, MUNSTERE, Tibi? perenni
Jam cluet Nomen, meritoque virtus
Splendet honore.

SEQUANÆ gaudent resonante ripâ
Inclyti Doctum celebrare GALLI,
Laureis dives strenuos coronat
LEIDA labores.

Quis feret certam miseris medelam
Quos premens pigrâ violentus Hydrops
Labe consumat, sitiensque tabo
Torreat udo?

Pullulat cœcis tumidum fluentis
Corpus, estque arens humido refusum.
Tetra lentescunt, cumulantque foedam
Stagna paludem.

Tu manu diras Opifer peritâ
Extrahis lymphas, residetque liber
Turgidis ferro trifido reclusis
Venter ab undis.

Aut potens imis Medico lacunis
Poculo fluxum putridum revellis;
Luridus cedit refugitque clausis
Fontibus Albor.

ZWOLLA Te longos potiatur annos,
Et memor cœlis Tua facta tollens
Ventilet pennâ volitante terras
Fama per omnes.

J. F. HELVETIUS. Med. Doct.

PRÆSTANTISSIMO ORNATISSIMOQUE
VIRO

JACOBO VAN MUNSTER,

Quum Medicinæ Doct̃or renunciaretur.

MUNSTERE, Divo nate Epidaurio,
O Pars meorum magna sodalium,
Dilect̃e Phæbo Palladique,
Gratulor egregios honores.
MUNSTERE tantis digna laboribus
Soluta tandem præmia gratulor,
Et, quo superbus mox micabis
Nomine, Te MEDICUM saluto.
En cuncta vincit sic labor improbus!
Nescitque densis cedere nubibus,
Quem laudis incendit cupido,
Nominis & generosus ardor.
MUNSTERE pectus commovet hic Tuum,
Divoque plenus Tu quasi numine
Per mille procurris pericla,
Quò Medicis fociere doct̃is;
Hinc arduorum per juga montium
Excurris, altum nec metuis mare,
Nec saxa curas nec procellas,
Dum teneas toties cupita.
Remota longè GALLIA Te juyat,
Dives peritis quæ Podaliriis,
Juyatque Chirurgis adesse
Luminibus manibusque doct̃is.
Hinc rettulisti munera splendida,
Largoque dives ecce redis penu;
Tuumque tempus collocatum
Quam bene fit, docet hæc tabella;
Nam, qui fit unda e corpore languido
Pellenda, monstrat, ni medicamini
Parere velit, si maligna
Ludat Apollineos labores.
O! Grator urbi, quæ reduci Tibi
Jam ferta, lauros & virides parat!
Beata ter! custode quæ Te
ZWOLLA frui poterit salutis.

JOANNES OOSTERDYK SCHACHT.

ORNATISSIMO AC ERUDITISSIMO
VIRO

JACOBO VAN MUNSTER.

Curas edaces pectoris egerat
Morpheus in auras, membræque solverat
Jugo laboris, liber ibat
Per varias animus figuras:
Ergò relictis turribus Ubiis,
Trans alta Rheni, trans juga montium
Septena, trans & regna lauri,
Et liquidi Jovis arva vectus
Aurata Vates limina Palladis
Reclusa vidi: de laquearibus
Murisque pendebant coronæ
Lucifugis gravidæ pyropis.
Passim æviternæ symbola gloriæ
Suspensa splendent, undique coelicæ
Portenta formæ, jam stupentem
Magnificis recreata vists
Pascunt Poëtam. Nil nisi splendida
Adesse cerno, nil nisi grandibus
Conforme, cum sit grande mundi
Verticibus, gravidisque dextris.
O quæ tubarum dulce sonantium!
Affusa captas musica detinet
Aures, voluptatisque plenum
Blanda melos, liquidumque nectar
Pallas propinat. Prò quibus aureus
Abundat æther deliciis? quibus
Intus fluentis gaudiorum
Corda natant riguique sensus.
Sed hinc stupenti se species mihi
Plus apparatu splendida cætero
Repente pandit. Curiosum
Visa rapit nova forma Vatem,
Nam clara gemmis & rutilantibus
Dives smaragdis, undique laureis
Distincta fertis, & coronas
Mille gerens hodierna sedes
LEIDÆ celebri Palladiæ domûs
Loco superbit, circuit hinc tuam
Pennata alumni turba sedem
Multiplicans sine fine lauros.

Cûi sumptuosum dicite, ZWOLLANI

Thronum parâstis, dicite, dicite.

Jo notavi liliorum

Mixta rosâs elementa nomen

Haud imperitis flexibus exhibent;

MUNSTER triumphet: cætera prò veta nt

Legisse curarum huc alumni

Pæonii, celebris relictam

Quæ mentem ab oris ad solitum vocant

Scholare pensum: sed liceat scholæ

Favete, dixi postulanti.

O liceat referendo patrem

Hoc lucis ortu gaudia promere:

Mœsti colores sint pròcul ædibus,

Florum sodalis turba nocte

Serta Rosas mihi ver repletis

Misit canistris, lilia miscuit

Succendo stacten Galbaneis focis,

Hunc astra amico ferte Phæbum

Incolumi reducem JACOBO.

AD EUNDEM.

Hæc, si fortè minus testari corda valebunt,

Vocibus expressis hæc stabilire juvat.

Vivat perpetuos, Vivat MUNSTERUS in annos,

Sitque petita dies, sitque cupita quies.

In solis victor scriptis MUNSTERE triumphâ

Sic ego, sic mecum frater amande yoves.

Dicere plus nequeo, quia paucis omnia dixi,

Plurali caruit semper avita fides.

Pluralem postquam jussa est admittere multis

In fidibus. facta est dissona vera fides.

Ex animo gratulans tesseram amicitie

consecravi, meritoque cecini

ABRAHAMUS VAN HAGEN,

Medic. Stud.

A A N D E N

VERSTANDIGEN EN GELEERDEN HEERE
JACOB VAN MUNSTER,

Toen hy in 's Lands Hooge-schoole te Leiden, tot
 Medicynen Doctor wierd ingewydt,

Ik zie verblyd myn Vriend met lof tot Arts verbeeven,
 Myn geest werd vaardig, en tot zingen aangedreeven,
 Om U, roemwaarde Heer te ontmoeten bly van geest,
 U groet ik met myn zang op dit uw vroolyk feest.
 't Is onse vriendschap, die my aanport tot de snaaren,
 Geleerde Jongeling, die van uw jonge jaaren
 In 't rijk der LELI-VORST ruym twee hebt doorgebracht,
 Wat wierd gy daar van elk met regt ge-eerd, geagt!
 Daar hebt gy grond gelegd om verder voort te bouwen;
 Daar had gy lust den mensch in 't binnenste te aanschouwen,
 Daar zocht gy naarstig na genees-kunsts merg en pit;
 Dan was de ontleedigkunde alleen uw doel en wit,
 Dan zocht gy weer de kragt van 't eed'le kruyt te weeten,
 Wat hebt gy daar veel tyd en uren in versleeten!
 't Was alles tot uw nut, uw arbeid werd beloont,
 Nu Leidens Pallas U met groene lauw'ren kroont.
 't Is wel, gy ziet nu eens het end van al uw poogen.
 Gaa voort in weetenschap, en houd de deugt voor de cogen,
 Bevlytig U nog meer, zo groeit uw kennis aan,
 Tot aller kranken hulp, en werd myn wensch voldaan,
 Zo werd uw roem van elk geviert, en hoog verbeeven,
 En moet vereeuwigt voorts op alle tongen leeven.

JACOB OOSTERDYK.